



PONTIFICIA  
UNIVERSITÀ  
GREGORIANA

## STATUTA FACULTATIS HISTORIAE AC BONORUM CULTURALIUM ECCLESIAE

APPROBATA A CONGREGATIONE PRO INSTITUTIONE CATHOLICA  
CUM DECRETO 728/2019 DIE 22 OCTOBRIS 2019

### **Art. 1 – Natura atque finis proprius Facultatis**

§ 1 – Facultas Historiae ac Bonorum Culturalium Ecclesiae, haeres Facultatis Historiae Ecclesiasticae anno 1932 fundatae – per prima utique in universo academico – et Cursus Superioris Bonorum Culturalium Ecclesiae, quod initium habuit anno 1991, instituta est die 28 aprilis anni 2005, ad investigandam et illustrandam viam ac vitam Ecclesiae in eius historico processu, necnon ad cognoscendum et magnopere aestimandum patrimonium historiae et artis christianae.

§ 2 – Facultas, dum veritatem historicam perscrutat, a suis primordiis promovet methodum historicam criticam, iuxta quam testimonia documentorum et operum artis in specifico paradigmate temporis et loci considerari debent.

§ 3 – Siquidem Facultas in successoris Petri Apostoli dioecesi sita est, in centro igitur Orbis Christiani, plane assumit charisma servitii Romano Pontifici proprium Pontificiae Universitatis Gregorianae – Collegii Romani haeres – a Sancta Sede Societati Iesu commissae.

§ 4 – Facultas finem sibi proponit efformandi tam futuros docentes Historiae et Bonorum Culturalium Ecclesiae apud Seminaria vel Universitates quam directores institutionum culturalium ecclesiasticarum et civilium, a diversis partibus mundi provenientes, eos conscios reddens de authentica manifestatione Mysterii Ecclesiae quod in variis fontibus sive historiae sive artis immediate haurire possunt.

§ 5 – Facultas, per cyclos Baccalaureati atque specializationis in Sectionibus Historiae Ecclesiae et Bonorum Culturalium Ecclesiae, instituit studentes ad usum methodorum et instrumentorum scientificae investigationis necnon ad aptam docendi methodum eisque sollicitum auxilium praestando.

§ 6 – Tempore studiorum Facultas, in lucem proferens valorem interdisciplinarietatis atque scientiae assimilationem criticam, offert perlatam et profundam formationem in disciplinis historicis ac in illis quae ad patrimonium culturale universae Ecclesiae attinent. Tamen, consideratis opportunitatibus quas Urbis

monumenta et tabularia praebent, investigationes historiam pontificiam ac bona culturalia Romae existentia spectantes peculiariter fovet.

## **Art. 2 – Regimen Facultatis**

§ 1 – Decanus, qui sodalis Societatis Iesu et Professor stabilis Facultatis esse debet, a Rectore ad normam art. 30, §§ 1 et 2 *Statutorum Generalium Universitatis* nominatur.

§ 2 – Decanus Facultati praeest, eamque repraesentat atque gubernat naviter de eius propriam indolem et scientificam qualitatem curando.

§ 3 – In Facultate moderanda Decanus a suo Consilio adiuvatur, quod duobus Moderatoribus Sectionum atque Consiliario a Consilio Facultatis ad triennium electo componitur. Praeterea subsidium ei praeestant Consilium Facultatis, Consilium Ordinariorum et Consilium Professorum, iuxta *Statuta Generalia Universitatis*.

§ 4 – Consilium Facultatis constat omnibus Professoribus Ordinariis et Extraordinariis, Docentibus Lectoribus Associatis, uno delegato ceterorum docentium et congruo numero studentium in *Ordinationibus Facultatis* determinato.

§ 5 – Utrique Sectioni Moderator praeest, qui, proponente Decano, a Vice-Rectore Academico ad triennium nominatur et dirigit activitates Sectionis iuxta orientationes Decani, eumque de suo muneris exercitio referendo. Eius munera in *Ordinationibus Facultatis* statuuntur.

§ 6 – Ad primi cycli studiorum atque curriculi *Diplomatis* gubernationem quod attinet, Decanus nominare potest Professore Facultatis, qui officium Moderatoris expleat.

## **Art. 3 – Docentes**

§ 1 – Docentes sunt minimum duodecim e quibus saltem sex Professores stabiles.

§ 2 – Docentes Facultatis ad unam tantum ex duobus Sectionibus pertinent, ad normam *Ordinationum Facultatis*.

§ 3 – Professores utriusque Sectionis, praeter onera quibus tenentur iuxta normas Universitatis enixe invitantur ad collaborandum in periodicis scientificis Facultatis aliisque academicis inceptis.

## **Art. 4 – Admissio studentium**

§ 1 – Ad primum cyclum ut ordinarius admitti potest qui, curriculo studiorum expleto, titulum obtinuerit quod necessarium est ad admissionem in Universitatem civilem nationis ubi studia peregit.

§ 2 – Ad secundum cyclum admitti potest qui primum cyclum perfecit aliasque conditiones in *Ordinationibus Facultatis* determinatas satisfecerit.

§ 3 – Ad tertium cyclum ii tantum licenziati admittuntur qui requisitis in Normis peculiaribus Universitatis de tertio cyclo et in *Ordinationibus Facultatis* determinatis satisfaciant. Studentes qui ex alia Universitate prodeunt debent et Licentiam in specializatione selecta vel titulum aequipollentem possidere et idem programma ac studentium ex secundo cyclo huius Facultatis complere necnon et, si forte, quosdam cursus primi vel secundi cycli.

§ 4 – Ad *Diploma* admittuntur qui saltem Baccalaureatum vel titulum aequipollentem, in *Ordinationibus Facultatis* statutum, obtinuerint.

§ 5 – Facultas offert complementum cursus studiorum primi cycli saltem unius anni pro studentibus, qui, muniti titulo universitario pari gradu Baccalaureati vel aequipolente, in hac Facultate primum cyclum studiorum non perfecerunt. Pro eis programma proprium a Decano vel a Moderatore primi cycli statuitur.

§ 6 – Decanus studentes ad studia in Facultate admittit vel ab illis excludit ratione habita conditionum requisitarum ad studia peragenda.

## **Art. 5 – Curriculum Studiorum**

§ 1 – Facultas Historiae ac Bonorum Culturalium Ecclesiae tres cyclus comprehendit, ad quos additur speciale curriculum ad titulum *Diplomatis* assequendum.

§ 2 – Primus cyclus, qui per tres annos protrahitur, ad gradum Baccalaureati assequendum, iuxta programma in *Ordinationibus Facultatis* determinatum perficitur et omnibus studentibus est communis.

§ 3 – Secundus cyclus, ad gradum Licentiae assequendum, iuxta programma in *Ordinationibus Facultatis* determinatum, per duos annos protrahitur et in duas specializationes dividitur, id est, in Historia Ecclesiae atque in Bonis Culturalibus Ecclesiae.

§ 4 – Tertius cyclus, ad gradum Doctorati assequendum, in una ex duabus specializationibus perficitur, id est, sive in Historia Ecclesiae sive in Bonis Culturalibus Ecclesiae.

§ 5 – Facultas *Diploma* sive in Bonis Culturalibus Ecclesiae sive in Historia Ecclesiae offerre potest, secundum Programma in *Ordinationibus Facultatis* statutum.

## **Art. 6 – De Disciplinis et Cursibus**

§ 1 – Studium Historiae Ecclesiae in quinque aetates dividitur:

- Historia Ecclesiae Antiquae
- Historia Ecclesiae Aetatis Mediae
- Historia Ecclesiae Rinascimentalis
- Historia Ecclesiae Modernae
- Historia Ecclesiae Contemporaneae

§ 2 – Studium Historiae Artis Christianae [Bonorum Culturalium Ecclesiae] in quattuor aetates dividitur:

- Historia Artis Christianae Antiquae
- Historia Artis Christianae Aetatis Mediae
- Historia Artis Christianae Modernae
- Historia Artis Christianae Contemporaneae

§ 3 – Programma primi cycli Facultatis cursibus praescriptis, optionalibus atque seminariis constat, in *Ordinationibus Facultatis* statutis.

§ 4 – Programmata duarum Sectionum secundi cycli cursibus praescriptis communibus atque propriis, cursibus optionalibus et seminariis constat, in *Ordinationibus Facultatis* statutis.

§ 5 – Programma tertii cycli ab *Ordinationibus Facultatis* regitur.

**Art. 7 – Examina**

Examina in *Ordinationibus Facultatis* ordinantur.